Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



Epistola scd̃i Joh̃is

ut gaudeatis et gaudium vestrum
sit plenum. Et hec est annuciatio
quam audiuimus ab eo et annun-
ciamus vobis: quoniam deus lux est
et tenebre in eo non sunt ullae. Si di-
xerimus quoniam societatem habemus cum
eo et in tenebris ambulamus
mentimur et veritatem non facimus.
Si autem in luce ambulamus sicut
et ipse est in luce societatem ha-
bemus ad invicem: et sanguis ihe-
su filii eius mundat nos ab omni
peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non
habemus ipsi nos seducimus: et ve-
ritas in nobis non est. Si confite-
amur peccata nostra: fidelis est et
iustus ut remittat nobis peccata
nostra et emundet nos ab omni in-
iquitate. Si dixerimus quoniam non
peccauimus mendacem facimus
eum: et verbum eius non est in nobis.

Filioli mei hec
scribo vobis ut non pec-
cetis. Sed et si quis pec-
cauerit aduocatum habemus apud
patrem ihesum christum iustum. Et ipse
est propitiatio pro peccatis nostris:
non pro nostris autem tantum sed
etiam pro totius mundi. Et in hoc
scimus quoniam cognouimus eum: si
mandata eius obseruemus. Qui
dicit se nosse eum et mandata eius
non custodit mendax est: et in hoc
veritas non est. Qui autem seruat
verbum eius: vere in hoc caritas
dei perfecta est in hoc scimus quoniam
ipso sumus. Qui dicit se in ipso
manere: debet sicut ille ambula-
uit: et ipse ambulare. Carissimi
non mandatum nouum scribo vo-
bis sed mandatum vetus quod habuistis
ab initio. Mandatum vetus est
verbum quod audistis. Iterum man-
datum nouum scribo vobis quod
verum est et in ipso et in vobis quia
tenebre transierunt et verum
lumen iam lucet. Qui dicit se in
luce esse et fratrem suum odit: in
tenebris est usque adhuc. Qui di-
ligit fratrem suum in lumine ma-
net: et scandalum in eo non est. Qui
autem odit fratrem suum in tene-
bris est: et in tenebris ambu-
lat: et nescit quo eat: quia te-
nebre obcecauerunt oculos eius.
Scribo vobis filioli: quoniam remit-
untur vobis peccata vestra propter no-
men eius. Scribo vobis patres
quoniam cognouistis eum: qui ab initio
est. Scribo vobis adolescen-
tes quoniam vicistis malignum. Scri-
bo vobis infantes quoniam cognou-
istis patrem. Scribo vobis iu-
uenes: quoniam fortes estis et ver-
bum dei manet in vobis: et vi-
cistis malignum: Nolite diligere
mundum: neque ea que in mundo
sunt. Si quis diligit mundum non
est caritas patris in eo. Quoniam
omne quod est in mundo concupiscentia
carnis est: et concupiscentia
oculorum: et superbia vite. Que quo-
niam non est ex patre sed ex mundo
est. Et mundus transit et concupiscen-
tia eius. Qui autem facit volunta-
tem dei manet in eternum. Filioli
nouissima hora est: et sicut au-
distis quia antichristus venit. Nun-
antichristi multi facti sunt. Unde
scimus quia nouissima hora est.
Ex nobis prodierunt: sed non
erant ex nobis. Nam si fuissent
ex nobis: permansissent utique no-
biscum. Sed ut manifesti sint quia
non sunt omnes ex nobis: sed vos
unctionem habetis a sancto et nos-
tis omnia. Non scripsi vobis quasi
ignorantibus veritatem: sed quia
nobis eam: et quoniam omne mendacium
ex veritate non est. Quis est men-
dax nisi is qui negat quoniam ihesus est